

8759

1765,6.

D E
ALIENATIONE GERADAE
FEMINAE MINORIS

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS

C O N S E N S V

P R A E S I D E

HENR. GODOFREDO BAVERO

I. V. D. ET P. P. O. FACVLT. IVRID. LIPS. ASSESS.

ET COLLEG. MINOR. PRINCIPP. COLL.

D. XXIII. AVG. A. C. MDCCCLXV.

I N AVDITORIO ICTORVM

D I S P V T A B I T

FRIDERICVS AVGVSTVS LAVE

D R E S D E N S .

L I P S I A E
EX OFFICINA LANGENHEIMIA

DE

ALIENATIONE GERADAE
LEMNAE MINORIS

ILLUSTRIS ICTORUM ORDINIS

CONSTITUTA

PRAEFACTA

HIER. GODOFREDO BAVERO

LUDVICO VACATI LIVIO VESCI

TA DEO DILEXIT MUNERA TERRITORIA CORT

DUXXII A.D.C. MCCCLX.

IN ALIENATIONE ICTERIUM

DIGESTA TATIS

FREDERICAS AUGUSTAS FVAE

BRASSAVOLA

LIBRATAE

EX OFFICINA FRANCINIENSIA



DE
ALIENATIONE GERADAE
FEMINAE MINORIS.

§. I.

Ignorat nemo, docetque praxis in defendendis iudicandis- *Introitus.*
que causis versantes, obuenire quotidie quaestiones, quas
vel plane non etiam optimi iuris interpretes, vel leuiter
tantum, attigerint. Incidi equidem nuperime in alienatio-
nem utensilium sive geradicorum, prout loqui amant nostri,
bonorum a foemina minoris aetatis suscipiendam. Nec erat
villus, qui expectationi desideriisque meis in ea re satisfecerit.
**COLERVVS, MOLLERVVS, PHILIPPI, SCHILTE-
RVS, MENCKENIVS nihil, CARPZOVIVS, BERGE-
RVS, WERNHERVS aliquae parum, nec BARTHIVS**
quod vix putaueris, in Commentario super *Gerada*, qui de
eius iure admodum prolixo disputat, satis. Putauit hinc, nec
omnino inutile, nec ingratum fore, si, quae mihi hoc intuitu
in mentem venerint, breuiter, prout instituti id ratio exigit,
ordinate tamen exponam.

A 2

§. II.



§. II.

*Antiqui juris
ratio expo-
nitur.*

Est haec thesis ex iure Germanico et Romano mixta. Et antiquo quidem Germanorum iure, quo maior erat, ignota omnino testamenti factione, fauor heredum, indeque magis dominii ius restrictum, immobilium et geradicarum rerum aequae prohibitam fuisse, sine consensu heredum alienationem, ex art. XXXI. Lib. I. Jur. Prov. Sax. intelligimus, ac reliquarum, praeter Geradam, rerum mobilium, marito dissentiente, transferre dominium non licebat. Quippe haec legimus: *Mann und Weib haben kein getheilt Guth bey ihrem Leben. Stirbt aber das Weib bey ihres Mannes Leben, so vererbet sie auf ihren nächsten Anverwandten keine fahrende Haabe, sondern allein Gerade und Eigen, wenn sie das hat. Ein Weib kann auch von ihrem Vermögen nichts weggeben, ohne ihres Mannes Willen, dass er es nach Recht dulten dürffe. Wenn ein Mann ein Weib nimmt, so nimmt er all ihr Guth in sein Gewehr, zu rechter Vormundschaft; Darum mag kein Weib ihrem Manne eine Gabe von ihrem eigen, noch von ihrer fahrenden Haabe geben, dadurch sie es ihren rechten Erben nach ihrem Tode entfremde.. Demn der Mann kann an seines Weibes Vermögen keine andre Gewehr gewinnen, als solche, die er Anfangs mit ihr in Vormundschaft empfießt.* Hinc diserte quidem sola in maritum facta immobilium utensiliumque rerum translatio nulla dicitur. Sed adiecta ratio, *dadurch sie es ihren rechten Erben nach ihrem Tode entfremde,* demonstrant, non fuisse meliorem extranei conditionem. Idemque Art. LII. Lib. I. confirmat, qui plane nullam dicit alienationem fundi, sine consensu heredum, factam, adeo, vt heredem, viuo etiam dante, quasi mortuus esset, statim alienatum euincere, permittat. Quae cum ita sint, hoc tantum interesse censeo alienationem marito, et extraneo factam, vt contra hunc mox, facta ex titulo ad transferendum dominium idoneo traditione,

contra

contra illum vero propter iuris communionem thori conscientia*re* ixt. Art. XLV. cit. Lib. I. quae sitam, soluto demum matrimonio, vindicatio processerit. Hanc distinctionem ipsa verba finalia nostri art. *denn der Mann kann an seines Weibes Vermögen keine andre Gewehr gewinnen, als solche, die er Anfangs mit ihr in Vormundschaft empfießt, suadere, et innuerere* videntur, datione geradas marito neque commodum inferri, neque incommodum, propterea, quod ipse sibi possessionis titulum nequeat mutare. Caeterum verba, *mag kein Weib eine Gabe von ihrem eigen, noch von ihrer fahrenden Haabe,* mihi hoc etiam comprobare videntur, nouam distinguendi rationem inter singulas res geradicas, ipsamque eiusmodi rerum vniuersitatem antiquo huic iuri minus esse consentaneam, verum successionis spem aequem certam in singulis rebus vniuersitate comprehensis, ac vniuersitate ipsa, fuisse. Nec mireris, quum seminarum successio, primo tempore aliquarum Germaniae gentium iure, in omnibus, praeter geradam, bonis, teste HEINECCIO Element. Iur. Germ. Tom. I. Lib. II. §. 224. exulauerit. Ex his omnibus vero quis non intelligat controversiam nostram antiquo iure nullam fuisse.

§. III.

Ex quo vero in Germania Iuris Romani dogmata innotescunt, liberiusque, quod haec dominis tribuunt, rerum sua ius novum, quod recensetur. rum arbitrium, laxior etiam suevit foeminis concedi super gerada potestas. Quam sic deinde constituit SERENISS. SAX. ELECTOR Part. II. Constitut. Electorall. XIII. et XIV. vt, reprobata in mortis euentum eius intuitu dispositione, ratam haberet inter viuos alienationem, excepta simili, quae fieret marito, donatione. Cuius distinctionis rationem hanc esse fatentur omnes, quod ex mortis causa dispositione heredi, legatariove, vel donatario post mortem



dantis demum dominium rei, quam defunctus, quoad viuis interfuerit, sibi receperit, tribuatur, idemque quo minus in gerada fieri possit, cognatae aliasue, ad quem eius successio pertineret, ius impeditat, statim in mortis articulo ad successorem deuolutum. Contra vero traditione, praevio inter viuos titulo ad transferendum dominium habili, facta, statim accipienti ius perfectum tribui, et impedire, quo minus legitimo successori post mortem dantis ea deferri possit. Marito vero ex omnibus aliis, praeter donationem simplicem, causis recte tribui geradam, praxis perpetua confirmat. Putarem recte. Nequaquam argumento conuictus, quo MENCKENIVS ad Pandect. Lib. XXIV. Tit. I. §. fin. vtitur, nimurum l. 145. D. d. R. I. Ut enim taceam, huic legi, quod fatebuntur omnes, ad rem nostram probandam omnino nihil inesse, alienum iudico, ad confirmandam iuris Germanici thesiu, peregrinis legibus vti. At enim uero ELECTOR SERENISSIMVS, quo ipso in remunerationem patitur marito geradam dari, cit. Const. XIII. alias etiam onerosas causas admittere videtur, et ad excludendam donationem Iuris Romani dogmate permotus, quod coniugum donationes, ne in commercio sit coniugalnis amor, respuit.

§. IV.

Transitus ad rem proposita. De forma alienationis Geradæ dicere eo libentius supponendo, quo luculentius ipsa cit. Const. XIV. ac Decis. Elect. XXII. eam nobis ante oculos ponunt, et quo fusius C A R P Z O V I S et PHILIPPI ad hasce leges aliquæ iuris interpretes in explananda ea versantur. Ad rem propositam potius accedo. Vidimus exoleuisse, et sublatum esse istum cognatarum fauorem, nihilque amplius facultati, inter viuos geradam alienandi, obstat. Quaque ad perfectionem perpetuitatemque suscipienda alienationis hoc loco exigit Const. XIV. et

et Decis. XXII. solennia, vt videlicet curator foeminae etiam innuptae, et in iudicio, et extra illud adsit, (quod ipsum tam non de singulis rebus, verum de viuuersitate ipsa merito intelligimus, arg. I. 20. §. 3. D. d. Heredit. Perit. §. 18. 19. 20. Instit. d. Legat add. CARPZ OV. Part. II. Conſt. XIV. def. 18. et BERGER Oecon. Jur. Lib. I. Tit. IV. §. 6. n. 3.) non in gratiam cognatae, verum ipsius potius feminae alienantis, quo melius sexus muliebris fragilitati consulatur, procul dubio exigit. Ex eoque vterius colligo, vt rite translatum a foemina minorenne censeri dominium geradae possit, non esse amplius ad antiquum istud cognatarum ius dudum sublatum respiciendum, sed potius totam rem ad formam alienationis rerum ad pupillos minoresque pertinentium redigendam. Modo mortis causa dispositionem, quam vidimus non procedere, exceperis. Etenim haec etiam quin subsistat, dubium non est, si proxima post alienantis mortem cognata consentiat. Quippe sic in genere tenemus: Si non personae inhabilitas, sed rei qualitas in mortis eventum dispositioni resistat, consentiente, qui dissentire valet, eam subsistere, quod, praeter alia, vasalli exemplum illustrat.

§. V.

De rebus vero minorum et pupillorum scimus omnes, *Brevis expofitio alienatio-
nis rerum ad pupilos mino-
rums cognitione, iudicis decreto probata.* Suntque, si ve-
resue perti-
rum intelligo, res feruando feruandae, quarum conseruatio-
ne, praeter lucrum ex defectu vſurarum cessans, quae ex pre-
tio in locum earum surrogando percipi possent, aliud pupillo
minorie damnum haud infertur, v. l. 22. sub fin. C. d. Admi-
nistrat. Tutor. in harum rerum censum etiam res geradicas,
nec incongrue, refert M ENCKEN ad Pandect. Lib. XXVII.

Tit.



Tit. IX. §. 3. Nec multo laxior concessa patri potestas, cuius quippe ius, prae alio tutores, praecipuum hoc est, ut ei iudex ad consentiendum pronior esse debeat v. l. 7. §. 2. D. d. Reb. eor. qui sub tut. Sanctionis huius, quae nullam, neglecta hac forma, alienationem diserte constituit, rationem esse nemo negabit substantiae pupillaris in utilitatem ipsius tuncendi conseruationem, quod ipsum cit. l. 22. singulis, praecipue vero his verbis confirmat. *Pecuniae, (in qua robur omne patrimoniorum veteres posuerunt) foenerandi usus vix diutinus, vix continuus et stabilis est: quo subsecuro, intercedente saepe pecunia, ad nihilum minorum patrimoniorum deducuntur.* Constitutio egregia, in eo tamen sibi ipsi parum constans, et in minores, quorum utilitati prospicere studet, iniqua, dum utilitatem eorum idoneam, ex qua consentire iudex valeat alienationi, non probat.

§. VI.

*Prohibitae
alienationis
rerum mino-
ris ad rem
praefentem
applicatio.*

*Necessitas non
indistincte ad
formam alie-
nationis re-*

At enim uero, quum semper interpretem memorem esse rationis legum oporteat, maximeque benignam amplecti sententiam l. 17. 18. et seqq. D. d. L. L. peccare mihi videntur, qui litterae nimis crude insistunt, quod et LEYSERVUS in Meditati. ad Pand. Spec. CCCXLIV. Medit. 3. meo quidem iudicio et in primis HÜBERVS in Praecl. ad Pand. tit. d. Reb. eor. qui sub tut. vel cura etc. §. 5. facit. Et licet concedam lubenter, propter similitudinem rationis et legis generalitatem praescripta solennia in alienatione geradæ impuberis minorisque seminae impune haud negligi, non tamen propterea plane impossibilem eam, semperque, deficiente necessitate, irritam cum aliis, qui sicco nimis pede rem tetigerunt, existimo. Et sic distinguo. Si hoc tantum agitur, ut ordo successionis immutetur, et spes cognatae eludatur, ipsi vero dominae satis cauteatur, alienationem subsistere defendo, alias vero

verò inualidam cōseco, nisi vel, necessitate probata, iudex ^{rum geradi-}
 tutori curatore, vel etiam, non probata ea, parenti cum ^{carum exigi-}
 filia, aut eius nomine, alienanti consenserit. Scilicet vidi-
 mus, iudicem proniorem esse debere ad consentiendum pa-
 tri. (Pono alienationem quae ex titulo oneroſo fiat.) Quod
 sic intelligo, non incumbere iudici curiosius in veritatem ar-
 gumētorum, quae pater allegauerit, inquirere, verum potius
 fidem ipsi, niſi de infenſo erga filiam animo conſtet, habere
 posſe, et statim decretum dare, praefertim, si cum filia pu-
 bore, aut nupta, aut inaupta iſtud petierit. Nec enim patris
 officium, quatenus curam aetatis complectitur, propter nuptias
 filiae, quae alterius non tollunt curatoris officium, exſpirare
 putem, etiamſi ius in personam et bona, mediante hac eman-
 cipatione, in maritum tranſeat. Quod ſi adeo pater et filia
 iudicis conſenſum in geradae venditionem cum marito, vel,
 hoc etiam conſentiente, cum extraneo contrahendam ex
 probabili cauſa imploret, praefertimque declareret, vſumfru-
 etum venditrici iri receptum, nihil obſtare puto, quominus
 decretum, ſine inquiftione in veritatem rei, iudex impertia-
 tur. Eodemque inſecuto nequaquam extimescendas eſſe co-
 gnatae miñas de neceſſitatis defectu excipienti. Venditrici
 autem feminae in integrum reſtitutionem laſione probata
 concedendam.

§. VII.

Dixi, ſi hoc ſolum agitur, vt ſucceſſionis ordo inuer-
 tur, geradae alienationem ſuſtene. Quam ſententiam vt alii ^{Subſtitutio alie-}
 recte intelligent, paulo vberius declarabo. Scilicet reuocabi- ^{natio geradae}
 le ſolum dominium alienet. Quod ſequentem in modum fieri ^{a femina mi-}
 poterit, ſi venditione, alioue eiusmodi titulo dominium gera- ^{nore facta, ſe}
 dae minor foemina, conſentiente curatore, in accipientem ^{revocabile do-}
 qui ^{minum tan-}
 ratur in acci- ^{tum tranſfe-}
 pientem.

B

qui



quidem transmittat, sibi vero contra ad dies vitae vsumfrumentum, alienandarumque singularum rerum, quotquot ad eam pertineant, licentiam, et retroemendi ipsam vniuersitatem intra certum tempus, idemque ad maiorem certe aetatem usque extensum, pro pretio accepto facultatem, sed et hanc sibi soli, non heredibus aliis in mortis euentum successoribus, seruet. Quo facto, pariter cognatae iure succedendi priuantur, pariterque id habetur, vt, si ad venditricem respexeris, nihil dum alienatum videatur. Eandemque ob causam, si eiusmodi pactis limitatur dominii translatio, nec omnino lucratiuam causam iubeo exulare, neque nullam dico alienationem, si patre, tutore, aut curatore, auctoribus, consensumue impertientibus, non implorata iudicis confirmatione, contractus vel pactum fuerit initum. Nihil enim fere, donec foemina viuit, emtor, et donatarius, alioue modo contrahens, praeter spem, adquirit. Id vero, quo minus per contractum dissentienti cognatae, absque iudicis decreto, geradica successio auferatur, nulla lex cauet, vt potius contrarium cit. superius *Const. Electoral. XIV.* constituat. Ne mariti quidem consensum, si hoc modo in extraneum gerada, vel, quod, vt monui, rectius dixeris, spes eius transfertur, ad negotii perpetuitatem exigo, quum in fraudem iuris, id est vsumfructus marito quaeſiti committatur nihil. Vt ne tutori quidem vi administrationis ei mandatae, multoque minus patri infants Geradam, interueniente oneroſo titulo, reuocabiliter alienandi facultatem denegem. Siquidem dubio caret, hac ratione meliorem fieri debere, deteriorem non posse feminae conditio nem. Quemadmodum vero diserte reuocandi dominii potestatem, quo magis contradictioni, ex defectu formalium pendae, obuiam eatur, mulieri recipiendam esse vidimus, ita tacite ipsoque iure istud reuocatur, quatenus donatio interuenit

nit ac interuenire potuit, statim, atque filia nascitur. v. BARTH.
de Gerada Cap. V. §. 30. et CARPZOV. ad cit. *Constit. XIV.*
def. XIX.

§. VIII.

At enim uero antiquo, ais, Saxonum iure omnino prohibitam fuisse geradae, dissentientibus cognatis, alienationem, ex lucrativa vel onerosa causa prouenerit. Prohibitionem hancce Serenissimum Llator. Saxon. *Constit. El. XIV. P. II.* sustulisse, neque tamen omnino, verum in solius cognatae (der Niffel) praeiudicium. Inde concludis, quia appellatur. *Alienatio Geradae legitime facta in solius cognatae, an etiam filiae, praeiudicium subsistat, in der Niffel.* Iatio der Niffel, foli cognatae linea collaterali iunctae, tribuantur, legesque correctoriae ultra litteram extendi nequeant, filiam, heredem defunctae matris non factam, pariter geradam Saxonico iure sibi debitam, ideoque nulliter alienatam, atque legitimam Romani iuris beneficio relinquendam, recte petere, eodemque iure euincere, quo maritus mobilia non geradica in fraudem suaee successionis alienata. Et parum absuit, quin huic sententiae accesserim, quam tamen, quo minus fuerim amplexus, effecit *Constit. Elec. XIII. Part. II.* quae facultatem donatione in alios, praeter maritum, transferendi geradam nulla solius cognatae (der Niffel) praeiudicium mentione facta, mulieri tribuit. Add. CARPZOV. et BARTH. *citt. locc.* quorum tamen argumentis ex iure Romano petitis, me non conuidum esse fateor lubens. Caeterum geradae alienationem ipso iure subsistentem fiscum, vel apud nos iurisdictione superiore praeditum, in cassum impugnare nemo dubitat, si quidem hic infirmiore cognatis iure vtitur.

Alienationem geradæ nulliter factam, quae in tam larga dicendi materia, in tanta exemplorum varie- quæritur, an tate moueri dubia possint, singula tolli in tanta termini angu- cognata iure stia posse. Ponamus nimirum, irreuocabile dominium Gera- fio impugnet. Adiiciam vnicum. Et quis facile existimabit, omnia, quae in tam larga dicendi materia, in tanta exemplorum varie- quæritur, an tate moueri dubia possint, singula tolli in tanta termini angu- cognata iure stia posse. Ponamus nimirum, irreuocabile dominium Gera- dae, deficiente vel necessitate, vel Iudicis decreto, alienatum, aliamue ob causam nullitate negotium premi, et mulierem iure suo, dum viuebat, vsam non esse. An vindicatio, mortua ea, cognatae, vel fisco tribui potest? Negas, et perpetuum ex morte mulieris factum esse emtoris aliisue successoris propu- gnas dominium. Idque, quia in praeiudicium cognatae alienatio concessa, eique certa forma, ipsius dominae minoris, non aliorum, fauore, praescripta sit. Ex quo insers, cognatae actionem inuoluere exceptionem, de iure tertii petitam, indeque reiiciendam esse. Quod affirmare tamen mallem, quia, quod nullum est negotium, effectus nulos producit, et, quod ab initio vitiosum est, tractu temporis non conuale- scit, nisi domina maior facta vel expresse, vel tacite, silentio quinquennali, dominii transmissionem ratam habuerit. Quo facto, non ex virtute sua, verum ex infesta ratihabitione, quam lex hoc loco diserte admittit v. l. fin. C. si maior facta alienatio conualescit. Quae disputauimus, omnes, me etiam non monente, intelligent, ad successionem geradicam cit. Con- stit. Electoral. XIII. et XIV. ordinatam respicere.

T A N T V M.





SB
7 felde





DE
ALIENATIONE GERADAE
FEMINAE MINORIS

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS

CONSENSV

P R A E S I D E

HENR. GODOFREDO BAVERO

I. V. D. ET P. P. O. FACVLT. IVRID. LIPS. ASSESS.

ET COLLEG. MINOR. PRINCIPP. COLL.

D. XXIII. AVG. A. C. MDCCCLXV.

IN AVDITORIO ICTORVM

D I S P V T A B I T

FRIDERICVS AVGVSTVS LAVE

D R E S D E N S.

L I P S I A E
EX OFFICINA LANGENHEIMIA